



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. II. Circa beneficiorum collationem improbis factam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

re, & inter malos bonum esse; ex uno autem actu heroico, & generoso passionum victoria major Deo honor & gloria, quam per impiorum scelera inhonoratio, accedat, etiam ex hoc capite bonitati divinæ nihil contrarium fieri, si plura peccata malorum, quam opera bona Justorum permittantur.

V. Quartò illi ostendat, quòd ipsæ etiam perfectiones DEI, maximè longanimitas, Misericordia, & iustitia clariùs elucescant ex malorum hominum multitudine; quis enim neget, longanimitatem DEI per hoc maximè ostendi, quòd tot peccatores tot, tamque gravia peccata committentes non statim ad infernum detrudat? quis Rex terrenus tamdiu dissimularet graves offensas in se perpetratas? sed & Misericordia ejus ex hoc elucet, quòd illos longè infra condignum puniat; tum quòd, ut S. Augustinus l. 12. de civ. c. 3. ait, satius est damnatis plecti, quam æternùm deformes esse meritis culpis sine ullius reformatione pœnæ & decore vindictæ.

§. II.

*Tentatio II. Circa beneficiorum collationem improbis factam.*

VI. **E**usebius homo pauper & egenus advertens, se, licèt bene vivere studeat, gravi rerum omnium inopiâ premi, pessimis autem hominibus omnia ad votum fluere, summamque divitiarum, voluptatum, & honorum abundantiam concedi, gravi-

graviter aliquoties tentatur, fateturque, se vehementer impelli, ad similem illis vitam instituendam, ut & ipse ex suis miseriis evadere, ac meliorem fortunam experiri possit. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem armandus sit?

*Responsio.*

VII. Primò illi ostendatur, eandem tentationem jam olim etiam Jeremiam Prophetam fuisse passum, uti ipsemet cap. 12. fatetur dicens: *Iustus quidem o tu, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur: bona est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Quomodo autem hanc tentationem vicerit, mox subjungit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Quasi dicere voluerit, sicut vitulus aliquis aut bos pascualis non propterea felix est censendus, quòd abundantius saginetur, quia hæc omnia ad mortem accelerandam ordinantur, ita nec impii propterea felices sunt censendi, quòd temporalibus affluant bonis, sed multò magis miseri sunt reputandi, qui ad æternas pœnas & mortem reservantur.

VIII. Secundò illi referatur, quid S. Laurentius Justin. cap. 4. de cast. connub. dixerit: *Nullum omnino absque remuneratione esse permittit (DEUS) operantem bonum: peccatoribus quidem & hujus sacelli incolis, temporalium reddit pro labore mercedem, quam appetunt, quam querunt, & quâ contentantur.*

tentantur tanquam alieni à DEO & à Sanctorum hereditate extranei. Iustus autem & verè peregrinantibus aliter merita compensantur, ipsis nempe temporalis surripitur successus, nam facile amittunt cœlestia, qui terrenis abundant.

IX. Tertio pariter narretur, quid Arnobius in Psal. 78. dixerit: Sape Dominus peccatoribus in hoc mundo latitiam, & abundantiam, & potentiam usurpata relinquit; quia scit, quæ passuri sunt in gehenna incendia, & condolens eis avertit in hoc seculo iram suam ab eis; itaque non est illis invidendum hoc misera felicitatis interstitium.

X. Quarto ostendatur, quòd favor iste temporalis pessimorum accensendus sit præcipuis Providentiæ indicis, uti D. Thomas in opus. indicat sequentibus verbis: DEUS gerit curam hominum, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit, quos membra dilecti Filii sui constituit, & templum Spiritus Sancti ordinavit, singulis singulos ad custodiam deputans & carne & sanguine pretioso Filii sui reficiens; quòdque præstantius est, peccatoribus inimicis suis vita necessaria providet abundantius, quàm amicis. Tantuus est inimicorum favor, ut ipsum DEVM commendet.

